



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XVII. De Emptione, Et Venditione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

cundum præsumptionem dolus abfuisse non censetur. Ita hic, & in L. 1. §. si quis servum ff. depositi junctâ l. quod Nerva cir. explicavique latius lib. 3. tra. 4. c. 25.

Excipiuntur verò duo casus, in quibus depositarius etiam de culpa saltem levi tenetur. Primus, si se ipsum deposito obtulit; tunc enim majorem seu diligentiorum custodiam spondere censetur. Secundus, si merces intervenit; tunc enim contractus gratiâ utriusque contrahentis celebratur, & transit in locationem, in qua culpa etiam levis præstanda venit, juxta L. 1. §. si quis servum ff. depositi.

Notandum tertium. Tres casus sunt, in quibus depositarius casum etiam fortuitum

præstare debet; pactum, culpa crassa, & mora antecedens. De hoc dixi in c. nuda commodato.

Notandum quartum. Contractus depositi magnam in depositario fidem postulat quam ob rem compensatio, vel deductio pro alio debito, alteri usve actionis opposita exceptio suffragari non potest, quo minus rei depositæ restitutio fieri debeat, ut dicitur, & in L. si quis 11. Cod. hoc tit. ult. l. de compensationibus. & docui lib. 3. tra. 2. c. 9. n. 10. Ubi tamen limitari hæc doctrinam, si debitum liquidum alio modo consequi non possit depositarius, saltem in conscientie foro l'icitum esse, rem depositam interim retinere, donec sibi satisfiat.

TITULUS XVII.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE



ACTUM fuit supra de contractu instituto in gratiam accipientis tantum; deinde de contractu instituto in gratiam dantis duntaxat; sequitur, ut dicatur de contractibus in gratiam utriusque contrahentis celebrari solitis, inter quos præcipuus est Emptio, ac Venditio.

CAPITVLVM I.

Placuit.

PARAPHRASIS.

Presbyteri, seu Plebani plebes suas admonere debent, ut se hospitales præbeant, atque humanitatem exerceant erga peregrinos; neque carius ipsis vendant ea, quibus indigent, quam in mercatu vendere possunt.

SUMMARIUM.

1. Res præsertim ad victum necessaria,

justo pretio vendi debent tam indigenis, quam extraneis.

2. Cogi possunt, qui his abundant, tempore necessitatis ad ea vendenda, & expendenda.

Notandum. Merces maxime ex, quæ ad victum, vestitum, & habitationem necessariae sunt, justo pretio vendi debent, non tantum indigenis, sed etiam extraneis. De hac re dixi lib. 3. tra. 4. c. 17. §. 11. n. 34. Videri potest S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. Covar. lib. 3. resolutionum c. 14. Abb. hic n. 6. ubi ait, quod in his, quæ sunt necessaria ad vitam hominis, Superior statueret potest justum pretium, quia pertinet ad Superiorem providere necessitatibus subditorum, ac publicæ;quare etiam in domibus aptis ad locandum, in pannis, ac similibus, pretium taxari potest secundum Bartolum in L. 1. c. de Episcopali audientia.

Ulterius ait Abb. cir. lo. tempore necessitatis, atque inopia eos, qui vino, frumento, & alijs ad vitam necessarijs rebus abundant, non tantum cogi posse ad vendendum,

Legem Corneliam de falsis, & docui lib. 3. p. 1. c. 4.

CAPITULUM III. Cùm dilecti &c.

PARAPHRASIS.

Abbas & Monachi Carioci silvam quandam pertinentem ad mensam Capituli Beluacensis à Canonicis quibusdam Ecclesie Beluacensis, in scio Capitulo, emerunt, libris 10. cùm valeret 40. marchis; ea propter Capitulum querelam detulit ad Alexandrum III. is Episcopo Morinensi & Decano Rhemensi causam hanc commisit cum clausula, ut si uterque procedere non posset, alter solus cognosceret, & definiret; postea Decanus in causa ea processit, & cùm per testium depositiones cognovisset, monachos pro silva sibi venditâ, ne dimidiam quidem iusti pretij partem solvissent, venditionem irritam esse pronuntiavit, & silvam Capitulo Beluacensi adjudicavit, Capitulares in possessionem inducens. Verùm Alexander Papa considerans, si res minus, quàm dimidio iusto pretio comparata sit, in emptoris arbitrio esse, num venditionem rescindi, an verò iustum pretium suppleri malit, sententiam Decani cassandam esse pronuntiavit, & silvam monachis restituendam, salva manente Canonicis constitutione, super pretij iniustitiâ, aut non interveniente Capituli consensu, vel si ex alia causa Canonici contra dictos monachos iudicio experiri velint.

SUMMARIUM.

1. Venditori luso ultra dimidiam iusti pretij datur optio rescindendi contractus, vel supplendi pretij.
2. Iudex appellations conformare se debet causa in prima instantia agitata.
3. Potest nonnunquam alio iudicio experiri, qui in uno succubuit.

kk.

Notan.

maximè indigenis, prout docui in cit. n. 34. sed etiam iudicis officio cogi posse, ut pauperibus necessitatem patientibus secundum facultatum suarum proportionem, opem præbeant. Idque sumitur ex c. sicut 8. dist. 47. iunctâ G. v. esurientium, ubi ait, tametsi indigentes actione directam non habeant adversus divites, qui abundant, tamen posse eos Ecclesie denunciari, ut ab ipsa compellantur ad subveniendum, prout etiam docui lib. 3. tra. 3. p. 1. c. 1. n. 8. monitione. Ratio dari debet, quia si pauperes gravipremantur necessitate, divites ex præcepto civitatis sub mortali peccato obligantur ad subveniendum, sicuti docui lib. 2. tra. 3. c. 1. imò Clerici beneficiarii, atque Prælati Ecclesiastici ex iustitia obligati sunt, ergo multo magis per Superiores cogi possunt. Eadem ratione, si spirituale periculum hominibus ab hæreticis, aut infidelibus imminet (sicuti hoc tempore) cogi possunt subditi per legitimos Superiores suos, ut secundum facultatum suarum proportionem ad commune depellendum periculum, quatenus necessitas postulat, contribuant, quandoquidem ad id ex charitatis, & iustitiæ lege obligantur.

CAPITULUM III.

Ut mensuræ &c.

PARAPHRASIS.

Mensuræ, & pondera iusta fieri debent, & qui lucri causâ falsaverint, in pane & aqua per 30. dies pœnitentiam agere debent. Ita refertur ex Concilio Moguntinensi; tametsi Canon iste in Conciliorum tomis non reperiatur.

NOTANDUM: in antiquis Canonibus pœnitentiæ cetera, ac determinato tempore duraturæ decreta fuerunt, in foro pœnitentiæ; quarum remissio Indulgentia dici solet, prout latius explicavi lib. 5. tra. 7. c. 2. & 3. Porro quòd falsatio in mensuris ac ponderibus inter species criminis falsi numerari debeat, constat ex L. penult. ff. ad-

Pervenit.

PARAPHRASIS.

Miles quidam P. nomine, ædes quasdam suas, tanquam donationem propter nuptias uxori suæ assignaverat: postea vero ex consensu uxoris vendidit eas alteri mulieri. Defuncto milite, relicta uxore ædes repetere voluit, allegans eas tunc donationis propter nuptias sibi assignatas, ne quidem cum consensu suo alienari potuissent: sed mulier emptrix opposuit quòd 30. annis constante matrimonio domum illam bonâ fide, & titulo iure possederit, ipsamque pretium in communes usus utriusque conjugis consumsum fuerit; ac deniq; tempore factæ venditionis marito sufficientes fuerint facultates, ex quibus mulier sibi condilata potuisset. Super hoc casu consultus Celestinus III. respondit, si ea, quæ allegantur, vera sint, emptricem super dote ex causis contra eam allatis molestam standam non esse.

SUMMARIUM.

1. *Quæ sit mens Glossæ circa intellectum hujus Capituli.*
2. *Melior tamen Capituli hujus rubrica ex rubrica desumitur.*
3. *Et probatur ex jure Civili.*

Glossa hic v. *fatigari* ponit unum intellectum hujus Capituli, secundum quem afferri solet hoc notandum: Si actus intentio, & actio fundamento mixta sit, repelli debet, tametsi reus per se, & contra actorem allegando, seu excipiendo non satis se defenderit. Ita sumitur ex *L. unia. Cod. ut qua desunt advocatis*. Ubi dicitur non dubitandum, si quid à litigatoribus, vel ab his, qui negotijs assistunt, videlicet Advocatis, & procuratoribus minus fuerit dictum, id iudicem supplere, & profertur posse, quòd sciat legibus, & juri publico

Notandum primò. Venditor deceptus ultra dimidium justij pretij rescissionem contra etus ex remedio *L. 2. C. de rescindenda venditione*, non potest petere absolute, sed sub conditione, sive alternatim, nisi malit emptor justij pretij defectum supplere, prout hic apparet, & in cit. *L. 2. & latius explicavi lib. 3. tra. 4. e. 17. n. 6.*

2 Notandum secundò. Judex appellationis conformare se debet causæ in prima instantia agitata, adeò, ut tametsi actor ex alia causa, quam in iudicium non deduxit, vel alio modo, quem in libello non proposuit, obtinere posset, tamen pro eo judex judicare non debeat, quia ad hoc actum non fuerat; secundum id verò, ad quod, & quæ ratione actum, ac petitum erat, malè processum, aut malè judicatum fuit, sicuti ponimus, & in hujus Capituli exemplo apparet. Ita *Imola hic n. 9. & Abb. n. 4.* Et videri possunt, quæ dicta sunt *lib. 2. Decretalium de oblatione libelli*, quòd judex libellum ineptum, & malè concludentem rejicere debet, nihilominus verò actor repulsus aliam aptam, & idoneam proponere possit, ut mox dicam.

3 Notandum tertio. Qui in uno iudicio succubuit, sive quòd causam, aut titulum probare non potuerit, sive quòd ineptè libellum formavit (ut in casu proposito, quando Canonici propter læsionem factam, in venditione ultra dimidium justij pretij contractum rescindi determinatè petiverunt) is non prohibetur in alio iudicio ex alia causa, aut titulo eandem rem seu personali seu reali intentatâ actione petere, prout in casu nostro Canonici agere potuissent, adversus monachos, ad rescissionem venditionis, propter Capituli consensum non adhibitum; vel petere in integrum restitutionem propter læsionem enormem. Ita sumitur ex *textu*, & notat *Gl. v. constitutione* juxta ea, quæ dicuntur in *L. & an eadem i. ff. de exceptione rei judicata*, & expressus in *c. ult. in fine junctâ Gl. de causa possessionis, & proprietatis*.

convenire; non item ea, quæ in facto consistunt, nisi ipsi ut iudici, seu in iudicio cognita fuerint, prout *Gl. ibidem* admonet. Itaque tametsi ea, quæ ex parte mulieris emptricis allata fuerint, neque singula, neque simul junctâ causam ipsius obtinuerint, tamen Pontifex pro ea pronuntiavit ex alia causa, quâ ipsa non allegavit, quod nimirum dissoluto matrimonio, donatio propter nuptias ad maritum, vel ad hæredes ejus reverti debeat, cum loco cautionis, seu securitatis duntaxat pro dote, marito allata, designata fuerit; quam ob rem eam donationem uxor relicta ab emptrice vindicare non potuit juxta *s. ultimum de donatione inter virum & uxorem*. ubi dicitur: soluto matrimonio, sicuti dos ad mulierem, ita donatio propter nuptias redit ad virum.

Hæc doctrina licet secundum se vera sit, tamen non congruit textui, siue non continet verum intellectum hujus Capituli. Ita aliud notandum, illudque unicum ponendum est, quod est in rubrica Capituli. Si uxor marito, alienanti rem propter nuptias donatam, & alia bona sufficientia pro dotis securitate habenti consensum præbuerit, & postea triginta anni sine mulieris contradictione lapsi sint, præsumitur mulier alterum de jure requisitum consensum præstitisse; præsertim si alienatio non incommoda mulieri videri poterat, quia pretium in communes familiæ usus conversum fuit.

Pro intellectu adverte, spectato communi jure Cæsareo, in securitatem dotis marito allatâ, tantundem in bonis ejus mulieri offerendum esse, ut sit instar hypothecæ specialis, siue rei specialiter obligatâ uxori. *L. ubi 29. Cod. de jure dotium*, & docui *lib. 3. tra. 4. c. 13. n. 10*. Ulterius in *authent. ut immobilia ante nuptialis donationi: & c. coll. 5.* decernitur, quod maritus dotem, vel donationem propter nuptias alienare non possit, nec hypothecâ nomine obligare, quamvis uxor consentiat; sin autem facta sit alienatio, etiam in rem actio, siue vindicatio utilis mulieri, non obstante ejus consensu, concedenda sit; præterquam,

si post exactum biennium consensus in scripto repetat, & confirmet, atque in bonis mariti aliâ res sint, ex quibus mulieri sufficienter cautum, & prospectum sit, tunc ratam fore alienationem.

Itaque in casu hujus Capituli ob temporis antiquitatem, videl. 30. annos lapsos, in quibus mulier nunquam contradixit, neque domum alienatam revocavit, præsumptio fieri potuit, mulierem alteram consensum præstitisse, quæ præsumptio eâ quoque ratione adjuvabatur, quia alienatio non incommoda mulieri erat; cum pretium in utriusque conjugis utilitatem proveniret, insuper marito sufficientes eo tempore adesset facultates. His consentiunt ea, quæ ex Felino *in c. sicut. n. 33. de sententia & re judicata*, & alijs docui *in c. 1. de rebus Ecclesie non alienandis in 6.* quod solemnitas extrinseca, v. g. consensus, ob temporis longinquitatem intervenisse præsumitur, si conjuncta fuit scientia & patientia ejus, qui probabiliter repugnasset, aut revocasset, nisi actus solemniter & legitime gestus fuisset; & hanc temporis diurnitatem 30. annorum sufficere colligitur *ex hoc cap. & tradunt Imola. Abb. & alij hic; Menochius in arbitrarijs qq. casu 433. n. 24.* quia tamen hæc res in præsumptione fundatur, de qua faciendâ non habemus certam ac generalem in jure expressam doctrinam, ideo talis præsumptio contrarijs conjecturis superari potest, ut proinde ad iudicis arbitrium pertinere videatur, omnibus consideratis, quidnam judicare debeat, quando solemnitas, quæ positivè intervenisse debet, non nisi ex ejusmodi præsumptionibus ostendi potest.

CAPITULUM V. Ad nos tram.

PARAPHRASIS.

Cum Laicus quidam à Marco pecunias mutuas accipere cuperet, Marcus lucrum capere volens, ne secundum Canonem contra usurarios editam *cap. quia in omnibus*

mbus & de usuris conveniri possunt, domos & olivas specie emptionis recepit, cum tamē re ipsa usurarius contractus esset, quod exinde apparet, quia Marcus promisit Laico, quando cunque post exactum septennium usque ad novennium venditionis pretium, videl 40. uncias argenti, quæ vix dimidiam justij pretij partem attingebant, solverit, domos & olivas ipsi restituendas esse: cum itaque fraus & dolus nemini patrocinari debeat, mandat Innoc. III. Episcopo Pallienensi, si res ita se habeat, ut, non obstante, quod instrumentum titulo venditionis, sed in fraudem Canonis, confectum fuerit, Marcum ad domos & olivas restituendas defuncti Laici hæredi per pœnam in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. sup. 25. contra usurarios latam, remotâ appellatione compellat.

SUMMARIUM.

1. Casus, in quo emptio, & venditio palliata usura præsumitur.
2. Explicatur pluribus casus iste, & præsumpta usura, in emptione tali, & venditione.

Notandum primum. Si emptio, & venditio pretio modico cum pacto redimendi post lapsum aliquot annorum instituitur, consideratis his, aliisque circumstantijs præsumi potest usurarius contractus, sive usura palliata, ob quam pœnæ usurarijs decreta æquè incurruntur, ac si usura esset expressa *argum. L. non dubium s. Cod. de legibus & regula ult. in 6.* Ubi dicunt DD. quod facere contra legem expressè, & facere contra mentem legis in fraudem æquiparantur, quod ad pœnas legales incurrendas, *Consentit ritul. Cod. plus valere*, quod agitur, quàm quod simulatè concipitur; & speciatim, quod dicitur *in L. 3. si sub titulo & specie instrumenti emptionis pignus detur, non quod scriptum, sed quod gestum est, inspicitur, ubi Gl. addit non valere talem contractum, etiam si juratus sit.*

Talis fuit contractus hic institutus, cum enim creditor pecunias mutuari cuperet, acceptis in pignus domo, & olivis, ut interim fructus, & pensiones lucraretur, nec mutuum restitutum esset. Sed quia, si expressisset, usurarium fore, & pœnisnoxium, non ignoravit, juxta *c. cum contra 6. de pigno. ibus idem ad evitandam pœnam instrumentum confici curavit*, quo domus, & olivæ vendi dicebantur, sed pretio modico, venditori seu potius mutuatario, & debitori relicta libertate redimendi, pretio eodem, sed non nisi post exactum septennium, & intra biennium duratur, atque ita re ipsa tantundem consecutus fore fenerator, sive creditor iste, ac si pecuniam mutuo dedisset, acceptis in pignus domos & olivis, eâ conditione, ut ipse fructus & de lucraretur, usque ad septennium; exacto autem hoc tempore, nisi intra duos annos pignus redimeretur, in commillam caderet, seu loco debiti retineri posset a creditore, quod reprobaturum *in tit. C. de pactis pignorum & in c. significante 7. de pignoribus.* Adverte tamen, contractum non ex eo præcisè usurarium præsumi, quod rogatus mutuari, constituto pignore, pœnuat id agere, sed contentus sit emere non pignori destinandam, concessa emptoribus redimendi facultate; nam usura non est in emptionis contractus verè institutus, cum unica usuræ sedes sit mutuum, idcirco ubi mutuum non est, usuræ locus esse non possit, atqui contractus ille, vera Emptio, ac Venditio est, cui nequaquam repugnat pactum de redimendo, adeo, ut, eo non obstante, emptor fructus ex re emptæ, quàm sua percipere possit interim, donec pretium redemptionis ipsi offeratur. *2. C. de pactis inter emptorem, & venditorem.*

Adde, tametsi pretium minus, quàm res vendita valet, constitutum fuerit, non idè statim usurarium contractum censeri posse, partim, quia pactum redimendi adjectum in gratiam venditoris, onus quoddam emptoribus, & idè in ejus competenti-

tionem minus pretium constitui potest, præsertim si eodem, & non majore pretio facultas redimendi venditori concessa sit; partim verò, quia tamen omnis confidens minus justum pretium constitutum sit, non tamen destruitur natura emptionis, & venditionis, cum injusta quidem sit venditio, at tamen valide, atque agi possit ad supplementum pretij, quæ est *Abbas* sententia hic n. 9. *Covar. 3. resolutionum c. 8. n. 3. Navar. in manual. c. 17. n. 248. Molin. disp. 375. n. 7. & docui lib. 3. tra. 4. c. 16. n. 17.*

Veruntamen præter pretij modicitatem, & pactum redimendi in casu nostri *cap. alia* concurrebant, ex quibus simul junctis præsumptio vehemens, ac patens fiebat latentis fraudis, intentionis usurariæ, & simulatæ venditionis. Primò. Quia *Læsus* ille mallet pecuniam sibi mutuo dari, in emptionem autem non nisi adactus consensus, si quidem aliter pecuniam consequi non poterit. Secundò. Quia unà cum modico pretio concurrebat, quòd venditori libertas redimendi concessa non sit absolute, sed post septem exactos annos, ita videlicet, ut ex re sibi venditâ fructus & lucrum cum venditoris detrimento capere posset emptor, seu fenerator. Tertio. Quia libertas redimendi post exactum septennium restricta fuit ad duos annos. Quarto. Addi potest, credibile esse, *Marcum* illum alioquin suspectum fuisse de usuræ virio, sive usuras læpius antè exercere solitum esse, juxta *C. illo vos 4. de pignoriibus.*

Coroll. Si in contractu aliquo ex circumstantiæ, seu præsumptiones & conjecturæ, quæ in hoc *cap. enarrantur*, simul concurrant, judex in foro externo judicare debet usurarium. Nam hæc est præsumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium; imò sufficere videtur, si hæc tria concurrant, compulsio quædam ad vendendum, pretium minus justum, & restrictio libertatis redimendi, ita, ut pecunias numerans receptâ re frugifera, aut quasi frugifera, certus sit de reportandò lucro.

Sin autem hæc omnia, quæ hic enumerantur, simul non concurrant, sed aliqua eorum, aut alia circumstantiæ, & conjecturæ intentionis usurariæ, tunc judicis arbitrio committitur, ut æstimet, num præsumptio usuræ siturgens, seu patens; talis enim requiritur ad condemnandum aliquem de gravi crimine, quale est usura, prout hic *Abbas notat n. 7.* quòd usurarius palliatuS convincitur per solas urgentes præsumptiones, at verò in conscientia foro standum est cujuscunque assertioni, cum quisque ipsemet nosse debeat, quam contrahendi intentionem habuerit.

CAPITULUM VI.

Cum causa.

PARAPHRASIS.

Monachi S. Martini civibus Viteniensibus quædam casamenta vendiderunt; postea autè questi sunt coram Innoc. III. de quo etiam constabat Pontifici, monasterium ultra dimidium justij pretij deceptum fuisse; quam ob rem per sententiam decrevit, ut dicti cives, vel possessiones pretio recepto restituerent, vel supplerent id, quod constaret venditionis tempore de pretio justo defuisse.

SUMMARIUM.

Læsus venditor ultra dimidium justij pretij tempore contractûs quomodo agere possit?

NOtandum. Si venditor in venditione ultra dimidium justij pretij læsus sit, id est, nec dimidium quidem accepit ejus, quod justum est mercis pretium contractûs tempore, tunc agere potest adversus emptorem, vel ut defectum suppleat, vel venditionem rescindi patiatur. *L. 2. Cod. de rescindenda venditione*, & explicavi latè *lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 6.* Porro justitia valoris pretij æstimari debet secundum tempus contractûs, sicuti dixi, id est, quanti res valuerit, cum contractus Emptionis, ac Venditionis celebratus fuit.

Kk ;

Objeci-

Obijicitur: si quispiam mercem suam pretio minore vendat animo donandi, venditio valet, nec rescindi potest *L. si quis donationis 34. juncta Gl. marginali ff. de contrahenda emptione*. Atqui venditor rem suam minoris justo, sine vi aut metu vendens, censeri debet defectum pretij donare, eò quòd quilibet mercis suæ pretium scire censeatur *L. quis quis 15. cod. de rescindenda venditione*. Responderur, si ex circumstantijs adjuvetur hæc præsumptio, quia v. g. emptor est consanguineus, erga quem venditor optimè affectus est, censeri posse donationem, & idèò actionem ex dicta *L. 2. negandam esse*; similiterque si beneficio hujus Legis speciatim, & particulariter aliquis renuntiãrit, præsertim accedente juramento, neque in contrarium sit præsumptio intervenientis doli ex parte emptoris, aut ignorantia ex parte venditoris, tunc censèbitur facta donatio, alioquin verò minimè, cum nemo sua facilè jactare censeatur, nisi sufficienter colligi possit donandi animus, & idèò hæc ipsa præsumptio, quòd contrahens, cum se venditorem dixit, & aliud non expressit, animum donandi non habuerit, superat alteram præsumptionem, quòd quilibet mercis suæ pretium scire censeatur. Qua de re *Abb. hic n. 4. Covar. 2. resolutionum c. 4. Molin. disp. 349. Bartolus in L. ult. §. item quasitum. ff. de conditione indebiti*, ubi ajunt, generalem renunciacionem in hoc casu non sufficere, cum ea se non extendat ad incognita, & nemo censeatur renunciare juri, quod sibi competere ignorat.

CAPITVLVM VII.

Si venditori.

PARAPHRASIS.

Titius ædes suas vendidit Cajo. Postea Sempronius intentata actione reali vindicare vult ædes tanquam suas. In hoc casu, si emptor Cajus Titio venditori

post judicium contra se institutum non denuntiet, ut ædes venditas defendat, vel si Cajus tempore sententiaë contumaciter se à judicio absentãrit; vel si per judicis injuriam contra ipsum Cajus sententia lata fuerit, in his tribus casibus Cajus contra Titium secundum leges Cæsarces de evictione agere non potest.

SUMMARIUM.

1. *Que circa intellectum hujus Capituli ex jure civili observanda sint?*
2. *In contractibus bona fidei inprimis spectandam, de quo inter se contrahentes convenerint.*
3. *Valida est etiam rei aliene emptio bona fide facta.*
4. *In quibus casibus non obligetur venditor de evictione?*

PRO intellectu adverte ad ea, quæ elegantè scripsit *Vlp. in L. ex emptio ff. de actionibus empti*: cum emptionis, et venditionis judicium sit bonæ fidei, nihil magis bonæ fidei congruit, quàm id præstari, quod inter contrahentes actum est; quòd si nihil convenit, tunc ea præstabitur, quæ naturaliter insunt (supple contractui huic) & inprimis ipsam rem præstare venditorem oportet, id est tradere; quæ res, si quidem dominus fuit venditor, facit & emptorem dominum; si non fuit, tantum evictionis nomine venditorem obligat, si modò pretium est numeratum, et eo nomine satisfactum, emptor autem numeros venditoris facere cogitur.

Ex his habes primò. In venditione, et alijs ejusmodi contractibus, qui bonæ fidei dici solent, inprimis spectandum est, de quo contrahentes inter se convenerint, seu quibus modis, ac conditionibus se mutuo obligare voluerint; itaque mens contrahentium ante omnia spectanda est, alioquin obligationes inter ipsos orientur secundum naturam, & conditionem cujusque contractus, quia quæ naturaliter insunt,

sunt, ea expressione non indigent. Naturâ autem inelle contractui censentur, quæ ex scientium, aut civili jure obligationes, actionesque constitutæ sunt.

Secundò. Colliges ex verbis Ulpiani, quòd non tantùm res propria, sed etiam aliena emptori bonâ fide ementi, sive alienam esse ignorant, validè vendi possit, adèd ut pretium emptionis verè acquiratur venditori, licèt vicissim mercis dominium non acquiratur emptori, sed loco ejus venditor obligabitur emptori de evictione, id est, si res vendita in judicio evicta fuerit, à persona tertia, dominum se ejus ostendente, aut eam sibi obligatam esse, tunc enim venditor pretium emptori restituere, & quantum ejus interest, rem evictam non esse præstare cogitur. Sicut latius explicavi *lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 21.*

4 Notandum. In tribus casibus venditor non obligatur emptori de evictione rei venditæ. Primus est, si emptor, instituto contra se judicio, saltem post litem contestatam, non denuntiet id venditori, videlicet, ut causam defendat, quippe cum ipsius maximè intersit, atque ipse documenta juris ac tituli, si quæ pro ipso venditore sunt, meliùs nosse, & producere possit *L. emptor 1. & seq. cod. de evictionibus.* Quòd si verò per venditorem steterit, quò minus ei denuntietur, nihilominus tenebitur *L. si idèd 11. in fine. & L. sequente §. sed eisi ff. de e-*

evictionibus. Alter casus: si contra emptorem sententia lata fuit propter contumaciam ejus, quia ad judicium non accessit, venditor non obligatur, ut hîc dicitur, & *in cit. L. si idèd.* ubi etiam ratio adjungitur, magis enim propter absentiam victus videtur emptor, quàm quòd malam causam habuit, idèd sibi imputare debet, dummodo contumacia fuerit causa, cur victus fuerit, quòd etiam in hoc casu præsumitur, sicuti *Gl. ibi admonet V. habuit.* Secus autem dicendum, si certum sit, etiam si præsens fuisset, quòd causam amisisset, aut amittere debuisset, quia constat, rem esse petitoris, seu vindicantis.

Tertius casus: si per injuriam judicis, seu injustam ejus sententiam res empta evicta fuit, *cit. L. emptor.* Ratio est, quia hæc evictio non venditori imputanda est, sed potius infortunio cuidam, quòd ipsemet emptor tanquam dominus rei, si à judice injustum damnum inferente, recuperare non possit, ferre debet, & non in alium, videlicet venditorem, rejicere. Alius casus habetur in *L. si dictum 56. ff. eodem.* si emptor ortâ controversiâ circa rem emptam voluntarium arbitrum, venditore non jubente, elegerit, isque contra emptorem pronuntiaverit, ubi *Gl. admonet V. feci.* idem eadem ratione dicendum esse, si emptor judicem extraneum, sive non suum, elegerit, jurisdictionem ejus prorogando.

TITULUS XVIII

DE LOCATO ET CONDUCTO.

CAPITULUM I.

Ex rescripto.

PARAPHRASIS.

Episcopus Portuensis Apostolicæ Sedis Legatus constitutionem fecit, quam postea Tusculanus Episcopus successor in legatione

Quandoquidem contractus locationis, & conductionis, & emptionis, & venditionis, & emptione familiaritatem gerit, & iisdem fermè juris regulis regitur, prout habetur in *L. 1. & 2. ff. locati & conducti.* & docui *lib. 3. tra. 4. c. 22. n. 1.* idèd Titulus iste præcedenti annectitur.